



# De hortensium arborum insitione opusculum,

<https://hdl.handle.net/1874/433411>

DE  
HORTENSIVM  
ARBORVM INSITIONE  
OPVSCVLVM, ANTONII  
MIZALDI MONLVCIANI

STVDIO ET DILIGENTIA  
CONCINNATVM.

EIVSDEM DENDRANATOME,  
hoc est partiũ corporis arborci explicatio breuis:  
vbi de earundem nutritione.



LVTETIAE,  
Apud Federicum Morellum, in vico  
Bellouaco, ad vrbanam Morum.

M. D. LX.

EX REGIS PRIVILEGIO.

SENTENTIA PRIVILEGII.

**R**egia sanctione cautum est, ne quispiam alius præter  
Federicum Morellum typographum Parisiensem, hoc  
Institutionum opusculum ANTONII MIZALDI MON-  
LUCIANI studio ac diligentia concinnatum, intra sex-  
ennium absque manifesto auctoris & dicti typographi con-  
sensu, sub Regis ditione imprimat, ne uendat Latine aut  
Gallice. Qui secus fecerit, libris & pœna in sanctione æsti-  
mata multabitur. Concessum fuit Priuilegium Lutetix Pa-  
risiorum, octauo Idus Februarij, An. M. D. LI X.  
subsignante

CAMVS.



ANTON. MIZALDVS

IOANNI OLIVARIO

S. P. D.

**P**ARVVM calceum, Ioānes  
Oliuari, paruo pedi adapta-  
bo: hoc est, paruo libro, parua  
epistolam adornabo. Supe-  
riore mense dum nostram Hortensium hi-  
storiam prudentissimo Galliarum Can-  
cellario, patri tuo mitterem, meis ad te li-  
teris significabam, Insitionum opusculum  
propediem Musas tuas salutaturū. Quae  
uerba in rem transire, & Hortensium hi-  
storiā suis partibus absolutā foras tādē  
prodire, uides. In qua texēda, quātū su-  
darim, quantū alserim, quantū lucubra-  
tionū uestertinarū & antelucanarū im-  
pēderim, iudices erunt qui Graecorum &  
Latinorum autorū classes sedulò dinume-

rabunt, per quas discurrendum mihi fuit,  
& his luſtrandis ſæpenumerò pernoctā-  
dum. Abundè mihi ſatisfactū erit, ſi pru-  
dentiſſ. patri tuo, deinde tibi, quicquid id  
eſt laborum noſtrorum adlubuerit, &  
gratum fuerit. Si munuſculum ex animo  
miſſum & oblatum, tibi exiguum uide-  
bitur, memor eſto Græcorum ſententiæ,  
τὰ τιμὰ ὄσῳ μικρότερα, τοσῶτω καὶ χαίεσθαι.  
Sanè multa ſunt mole & corporis uasti-  
tate ſuperbientia, quæ paruis rebus, pre-  
cio longè ac latè cedunt.

Hoc adamas, gemmæque docent, quæ corpore paruo  
Oblectant Reges, diuitibusque placent.

Fæliciter in eo vale, Ioannes Oliuari, ſine  
quo eſt omnis medicina uenenum. Cuius  
bonitas immenſa, adoleſcentiam tuã pro-  
mouere, & prudentiſſ. patrem tuũ Can-  
cellarium, cum ſpectatiſſ. Lumbarienſiũ  
Antiſtite, patruo tuo, ſemper tueri digne-  
tur. Lutetiæ, Idibus Martij, M. D. LX.  
Aſtronomico calculo.

DE HORTENSIVM ARBORUM  
INSITIONE OPVS CVLVM,  
ANTONII MIZALDI MONLVCIANI  
studio & diligētia accuratè  
concinnatum.

PRAEFATIVNCVLA.

**P**ROPOSITIS haud ita pridem à nobis publicæ utilitati auxiliis, cura & secretis hortorum, precium operæ nunc demū facturum me cogitavi, si libellum de arborum insitione comitem illis darem, ut nostra Hortensium historia suis undique partibus absoluta foras prodeat. Ut itaque à uerbis ad rem trāseam, arbores quæ hominum cura atque arte prouenire solēt, uel femine emergunt, uel radicum plantulis, uel propagine, uel auulsione, uel furculo, uel insitione. Relictis primis & mediis, ceu notissimis, postremum longè ac latè, si diuina fauerint, ex priscis & recentioribus rerum agri professoribus Græcis & Latinis explicare contendam: ut fecundissimam illam uberrimorū ac pul-

cherrimorum fœtuum matrem Inſitionē,  
meritis honoribus exornem, & omnibus  
ſuis numeris, pro mea tenuitate, illuſtrē.

De inſitione quæ fit ſub cortice & in trũ-  
co, ex græcis Florentini Georgicis.

## Caput. I.

**F**lorentinus inter Græcos rerum agri  
doctores priſcos clarus, tria inſerendi  
genera eſſe tradit. Vnum ſub cortice,  
alterum in trunco, & tertium quod empla-  
ſtro fit, ſeu inoculatione. Omiſſo ultimo,  
ſic primum & ſecundum perſequitur. Ar-  
bores quæ denſiore libro & cortice veſtiun-  
tur, & ex terra copioſum humorem ſugūt,  
quales eſſe noſcuntur ficus, olea, ceraſus &  
ſimiles, ſub cortice inſeri deſiderāt. Sed an-  
tè cuneus tenuis ualido ligno conſtructus  
(quo facilius imprimatur) inter corticem  
& lignum paulatim adigi debet: tam dili-  
genti & accurato manus libramēto, ne cor-  
ticis fascia diſrũpatur: quo leniter ſubdu-  
cto, ſurculus mergitur, & blandè imponi-  
tur. Hanc inſerendi rationem emphylli-  
ſmon & inſolationem appellāt. Quæ autē  
cortice tenui cingūtur arbores, ſuntq; pau-  
ciori humore contentæ, & foris exuccæ (q̄  
hu-

humor relicto cortice in medullam interiore[m] se recipiat) qualis esse solet citrea malus, & arbores alia[m] complures, fisso ligni medio, furculi infiguntur: quem modum proprie Insitionem uocant, & encen-trifmon. In utroque genere confestim inferendum furculum præcipiunt, & compendiarium insitionem faciendam: ne diuturniore mora natiuus humor exhauriatur, & furculus reficcetur. Porro, qui inferuntur furculi, nitidi esse debent, & ex fertili arbore selecti, ab ea parte quæ aquilonem spectat: adhæc acutis falcibus decisi, de nouo nati, leues, frequentibus gemmis præ-gnantes, bifurci, uel trifurci, ab imo crure simplices, crassitudine digiti minoris, & bimi: nam anniculorum salua sursum recur-rens auocatur, ex quo infructuosi fiunt. Falcis mucrone ab una parte instar scriptorij calami salua medulla scinduntur, sic ut lignum ligno, & cortex cortici possit committi & adhærere. Surculi dera sum acumen, cum fissura & hiatu in quem debet imponi, æquali constabit magnitudine: ita ut exacutio & fissura stylum excipiens, binos digitos non excedant: quibus iuste coeuntibus nihil adimendum uolunt. Argilla dunta-



xat vulnus muniendū erit, propterea quòd  
 flaua terra cauliculos exurat, & ob id inepta  
 fit. Surculos finiente Luna, uel filente, de-  
 cem aut paulò plures dies antè infitionem  
 accipiendos iubent, & operto uase ita mu-  
 niendos, ne qua expiret aura: quos oportet  
 bit, dum eliguntur, adhuc oclusos nō de-  
 hiscere, infitōsque ad germinationem pro-  
 perare: quare decem antè diebus, aut plus-  
 culis, ut diximus, qui infitioni destinabū-  
 tur, uellendi erunt. Sed edocenda est ratio  
 cur statim cruti non sint inserendi: quippe  
 si feruens adhuc, turgēnsque surculus in ca-  
 pacem & destinata rimam immittatur,  
 necessum est quippiam eius emarcescere,  
 antequam in unum coalescat corpus: fun-  
 gosamque laxitatem inter lignū excipiens,  
 & hospitem surculum intercedere: aut, si  
 mauis, laxationem fieri inter immissum &  
 fuscipiens lignum: in cuius rimas hiantes  
 subiens aer, prorsus in unitatem coire non  
 patitur. Quòd si dies aliquot uase prius in-  
 cludantur, faceffet omnis iniuriæ suspitio:  
 neque uinculorum laxans mollities infe-  
 stabit, neque inspirans aër officiet, sed bre-  
 ui tempore comprehendēt. Surculi aquilo-  
 nio flatu ruente nō sunt inserendi, quin po-  
 tius

tius austro spirante: quoniam ut imber insitionibus in trunco prodest, ita his quæ sub cortice fiunt nocet. In trunco ad æquinoctium usque Autumni optimè fieri potest. In cortice usque ad Brumam, & post fauonij flatus (qui septima Februarij die spirare incipiunt) usque ad solstitium. Sunt qui insitionem optimam in trunco prædicent, post Canis ortum: rursumque æstate post extinctos Caniculæ feruores. Si surculi à longinquis tractibus deferantur, infixi luto, uase diligenter oblito, ne uentum sentiant, optimè asportantur. Hactenus Florentinus in suis Georgicis græcis.

De insitione quæ fit per inoculationem, seu emplastrationem, ex græcis Didymi Georgicis. Cap. II.

**D**IDYMVS inoculationem, quæ enophthalmism<sup>o</sup> dici solet, ante solstitium æstiuum opportunè fieri tradit: quãuis circiter uernum æquinoctiũ, cùm germinatione turgent arbores, & gemis grauidæ gestiunt, die tranquillo, & silente cœlo, à se cõmodè auspicatam fuisse memorat. Verùm, quæ inoculatur arbor, nodis & agnascenti sobole, comaque debet

purgari ac liberari, relictis uberioribus, nitidioribusq; furculis qui huic insitioni destinantur. Fœcundæ arboris ex anniculo germine immaculatum & selectum oculum, seu gemmam, asciscere conuenit: & circum-raso acie scalpri diligenter cortice, eû caudici in alterius uestigium imprimere. Purum autem corticem, erugatum, nec ulla sui parte cicatricosum secare exactè decet, ac lignum integrum & inuiolatû seruari: hoc enim perquam necessarium habetur. Fœliciter cedit, si recepta hoc hospitio gēma, in alterius sedem incidat: nam ita dubio procul comprehendit. Citra quoque gemmam uel oculum in pullulatione, altera caudicis parte insitionem moliri nihil uetat. Cæterùm cortices crassitudine pares esse debent: & ubi coaluerunt, amputandû quod supra compagem prominet, ne eo loci feratur alimentum, & à coalitu succus auocetur. Dum furculi tria monstrabunt folia, uincula sunt resoluenda. Ego uerò, inquit Didymus, sepe numero non ipsum oculum ex anniculo germine acceptum, per seipsum inseui, sed relicto oculo in germine illaeso, à tergo gemmę corticem delibraui: & lignum instar scriptorij calami

scalpens

scalpens, cum ligno quod remansit, in ue-  
stigium uel lacunam impressi, generosio-  
résque arbores mihi comparauit. Porro, si  
sinistræ ramorum partes inoculationem  
susceperint, suos partus cum fœnore libe-  
raliter refundent. Hactenus Didymus in  
suis Georgicæ disciplinæ Institutionibus  
græcis, ex quibus hæc accepta & translata  
sunt.

Particularia de Insitione ex Diophane  
Græco rerum agri interprete.

Cap. III.

**F**icus moro & platano rectè inseritur:  
Morus castaneæ, fago, malo, pyro  
syluestri, terebintho, ulmo & albæ po-  
pulo: quo coniugio cãdida nascuntur mo-  
ra. Pyrus inseritur punicæ malo, cotoneæ,  
moro, amygdalo & terebintho. Si pyri  
furculi moro figantur, rubra creabunt py-  
ra. Malus inseritur omni pyrastris generi:  
eadem cotonei fœcundata coitu, poma da-  
bit, quæ Græci melimela nominant: simi-  
liter & pruno sociatur: sed inito platani cõ-  
fortio, rubra mala proueniunt. Nux in ar-  
butum solam inseri uoluit, cæterarum ferè  
societatem horrens. Punica salici inserun-

tur. Laurus malo. Persica damasceno & amygdalo. Damascena syluestri pyro cuiuscunque generis: adhæc cotoneæ, & malo. Castanea uariis arborū adulteriis gaudet, ut fagi & roboris. Cerasus nec persici, nec terebinthi respuit hospitium: nec contrà, cerasi terebinthus & persicus. Cotonea oxyacanthæ consortium non aspernatur. Myrtus salici inferitur. Præcocium damasceno & amygdalo. Citria malus cùm tenui libro uestiatur, uix subtercutem recipit aduenam surculo: quin potiùs in nutritio parentis sinu alitur: post coalitum emarcescit. Loquor autem de fructu, inquit Diophanes, qui ubi arbor comprehendit, citromalum appellatur. Si tamen quis citrium moro inseuerit, rubra feret poma. Cotonea & caprificus, arboris cuiusque cõsortium ineunt, nec ulli surculo denegant hospitium. Citriam malum in punicæ trunco fixam ali, Didymus in Georgicis scriptum reliquit. Florentinus insitam ceraso uitem uas vere promittit ferre: eandemq; oleæ impactam fructum promere, qui de utriusq; parentis adoptione, elæostaphylus dicitur. Odorata pyra, myrapia nuncupata, quamoptimè in malis comprehendunt.

quod unum, inquit Diophanes, experientia magistra didici. Haecenus Graeci rerum agri interpretes de insitione. Venio ad Latinos qui de ea post illos scripserunt, ut sua unumquemque tulit aetas & ordo.

De arborum generatione & insitione  
ex lib. 2. Georgicôn Virgilij.  
Cap. IIII.

**P** Rincipiò arboribus uaria est natura creandis.  
Namque alia nullis hominum cogentibus, ipsa  
Sponte sua ueniunt, camposque, & flumina late  
Curua tenent: ut molle siler, lenteque genistæ,  
Populus, & glauca canentia fronde salicta.  
Pars autem posito surgunt de semine, ut alia,  
Castaneæ, nemorumque Ioui quæ maxima fronder  
Isculus, atque habitæ Graiis oracula quereus.  
Pullulat ab radice altis densissima sylua:  
Ut cerasis, ulmisque: etiam Parnassia laurus  
Parua sub ingenti matris se subiicit umbra.  
Hos natura modos primùm dedit: his genus omne  
Syluarum, fruticumque uiret, nemorumque sacrorum.  
Sunt alii quos ipse uia sibi reperit ulus:  
Hic plantas tenero abscondens de corpore matrum  
Deposuit fulcis: hic stirpes obruit aruo,  
Quadrifidasque sudas, & acuto robore uallos,  
Syluarumque alię pressos propaginis arcus  
Expectant: & uiua sua plantaria terra.  
Nil radicis egent alia, summumque putator  
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.  
Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)  
Traditur è sicco radix oleagina ligno.  
Et sæpe alterius ramos impunè uidemus  
Vertere in alterius: mutatamque insita mala  
Ferre pyræ: & prunis lapidosa rubescere corna.

ANT. MIZALDI OPVSCVLVM

Quare agite, ô proprios generatim discite cultus  
Agricolæ, fructûsque feros mollite colendo.

Deinde subdit,

Sponte sua quæ se tollunt in luminis auras,  
Infœunda quidem, sed lata & fortia surgunt:  
Quippe solo natura subest: tamen hæc quoque si quis  
Inlerat, aut serobibus mandet mutata subactis,  
Exuerint syluestrem animum, cultûque frequenti  
In quacunque uoces arteis, haud tarda sequentur.  
Necnon & sterilis quæ stirpibus exit ab imis  
Hoc faciet, uacuos si sit digesta per agros.  
Nunc altæ frondes, & rami matris opacant,  
Crescentique adimunt fœtus, uruntque ferentem.  
Iam quæ feminibus iactis se sustulit arbos  
Tarda uenit, seris factura nepotibus umbram:  
Pomæque degenerant succos oblita priores:  
Et turpes auibus prædam fert uia racemos:  
Cogendæ in sulcum, ac multa mercede demandæ.  
Sed truncis oleæ melius, propagine uites  
Respondent: solido Paphiæ de robore myrtus:  
Plantis & duræ coryli nascuntur, & ingens  
Fraxinus, Herculeæque arbos umbrosa coronæ,  
Chaonisque patris glandes: etiam ardua palma  
Nascitur, & casus abies uisura marinos.  
Inferitur uerò ex fortu nucis arbutus horrida,  
Et steriles platani malos gessere ualenteis:  
Castaneæ fagos: ornûsque incanuit albo  
Flore pyri: glandemque sues fregere sub ulmis.  
Nec modus inferere, atque oculos imponere simplex:  
Nam quæ se medio trudent de cortice gemmæ,  
Et tenues rumpunt tunicas: angustus in ipso  
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen  
Includunt: udôque docent inolescere libro.  
Aut rursus enodes trunci refecantur, & altè  
Finditur in solidum cuneis uia: deinde feraces  
Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens  
Exiit ad cælum ramis fœlicibus arbos:  
Miraturque nouas frondeis, & non sua poma.

Hactenus

Haëtenus diuinus poëta Virgilius de arborum diuisione, in eas quæ natura gignuntur, & quæ artificio. Priorem modum perspicuè explicat: posteriorem, obscure. Nos ex Plinio utrunq; postea facilem ac familiarem tibi reddemus. Postremò insitione exemplis aliquot persequitur & illustrat, cum duabus eius sororibus quæ infolatio seu emphyllismus, & emplastratio uel inoculatio seu enophthalmismus tam Latinis quàm Græcis agricolis dici solent, & cortice nituntur. Sed hîc Virgilij interpretem non agimus. Pergo itaque ad reliquos qui de insitione plenius ac clariùs post Virgilium scripserunt.

De insitione ex Iunio Columella.

Cap. V.

**O**Mnis furculus omni arbori inferi potest, si non est ei, cui inferitur, cortice dissimilis. Si uerò etiam similem fructum, & eodem tempore adfert, sine scrupulo egregiè inferitur. Tria genera porrò insitionum antiqui tradiderunt. Vnum, quo resecta & fissa arbor, resectos furculos accipit. Alterum, quo resecta inter librum & materiam, semina admittit:



quæ utraque genera uerni temporis sunt. Tertium, quo ipsas gemmas cum exiguo cortice, in partem sui delibratam recipit: agricolæ emplastrationem uocant: uel, ut quidam, inoculationem. Hoc genus insitionis æstiuo tempore optimè usurpatur: quarum insitionum rationem cum traderimus, à nobis quoque repertam aliam docebimus. Omnes arbores simul atque gemmas agere cœperint, Luna crescente inferito: oliuam autem circa æquinoctiū uernum, usque in idus Aprilis. Ex qua arbore inferere uoles, & surculos ad insitionem sumpturus es, uideto ut sit tenera & ferox, nodisque crebris: & cum primū gemmina tumbunt, de ramulis anniculis, qui Solis ortum spectabunt, & integri erunt, eos legito, crassitudine digiti minimi: surculi sint bifurci uel trifurci. Arborē quam inferere uoles, serra diligenter exsecato, ea parte qua maximè nitida & sine cicatrice est: dabisque operam ne librū lædas. Cum deinde truncum recideris, acuto ferramēto plagam leuato: mox cuneum tenuē ferreum uel osseum, inter corticem & materiam nec minùs digitos tres, sed consideratè demittito, ne lædas aut rumpas corticē.

Postcā

Posteà furculos quos inferere uoles, falce acuta ex una parte deradito tantùm, quantum spatij cuneus demissus dabit: atque ita ne medullas, nèue alterius partis corticem lædas. Vbi furculos paratos habueris, cuneũ uellito, statimq; furculos in ea foramina, quæ cuneo adactõ inter corticẽ & materiam feceris, demittito. Ea autẽ fine qua adraferis: furculos sic inserito, ut semipede nec amplius de arbore extent: deinde muscũ supra imponito, & ita ligato ne pluuia dilabatur. Quosdã tamen magis delectat in trũco arboris locũ seminibus serra facere, insectãsq; parteis tenui scalpello leuare, atq; ita furculos aptare. In una arbore duos aut tres ramulos figito, dũ ne min<sup>9</sup> quaternũ digitorũ inter eos sit spatiũ. Pro arboris magnitudine, & corticis bonitate hæc facito. Cũ omnes furculos quos arbor patietur demiseris, libro ulmi, uel uimine arborẽ astringito: posteà paleato luto bene subactõ oblinito totã plagã & spatiũ quod est inter furculos, usq; eò ut duobus digitis insita extent. Supra locũ muscũ imponito, & ita alligato ne pluuia dilabatur. Si pusillã arborẽ inferere uoles, imam abscindito, ita ut sesquipede è terra extet: & cùm deinde

præcideris, plagã diligenter leuato, & me-  
 diũ truncũ acuto scalpello permodicè fin-  
 dito: ita ut fissura digitorum triũ sit in ea:  
 postea cuncum, quò diducatur, inserito: &  
 furculos ex utraq; parte de rasos demittito:  
 sic ut librũ seminis, libro arboris æqualem  
 facias. Cũ furculos diligenter aptaueris,  
 cuncũ eximito, & arborẽ, ut supra dixi, alli-  
 gato: deinde terrã circa arborẽ adaggerato,  
 usq; ad ipsum insitum: ea res à uento & ca-  
 lore maximè tuebitur. Hoc tertium genus  
 insitionis cũ sit subtilissimum non omni  
 generi arborũ idoneũ est: sed ferè recipiũt  
 talem insitionẽ quæ humidũ, succosumq;  
 & ualidum librũ habent, sicut ficus. Nam  
 & lactis plurimum mittit, & corticẽ robu-  
 stum habet: optimè itaque ea inseritur tali  
 ratione. Ex qua arbore inserere uoles, in  
 ea nouellos & nitidos ramos eligito, in iif-  
 demq; obseruato gemmam quæ bene appa-  
 rebit, certãmq; spem germinis habebit: eã  
 duobus digitis quadratis circũsignato, ut  
 gemma media sit: & ita acuto scalpello cir-  
 cuncidito, delibratõque diligenter ne gẽ-  
 mã lædas. Postea item alterius arboris quã  
 emplastraturus es, nitidissimum ramum  
 eligito, & eiusdem spatij corticem circun-  
 cidito,

cidito, & materiã delibrato: deinde in eam partem quam nudaueris, præparatum emplastrum, seu gemmam, aptato: ita ut alteri delibratæ parti conueniat. Vbi ita hæc feceris, circã, gemmam bene alligato, cauetóq; ne lædas ipsum germẽ: mox cõmissuras & uincula luto oblinito, spatio relicto, vt gẽma libera uinculo non urgeatur & liberè germinet. Arboris autem insitæ sobolem & ramos superiores præcidito: nequid sit quò possit succus euocari, aut ne cui magis q̃ insito seruiat: post XXI. diem soluito emplastrũ: & hoc genere etiã optimè inseritur olea. Quartum illud genus insitionis iam docuimus cùm de uitibus disputauimus: itaque superuacuum est hoc loco repetere traditam rationem terebrationis. Sed cùm antiqui negauerint posse omne genus furculorũ in omnem arborẽ inferi, & illã quasi finitionẽ qua nos paulò antè usi sumus, ueluti quandam quasi legem sanxerint, eos tantũ furculos posse coalescere qui sint cortice ac libro & fructu cõsimiles iis arboribus quibus inseruntur: existimauimus errorẽ huius opinionis discutiendum: tradendamq; posteris rationem quæ possit omne genus furculi omni generi ar-

boris inferi. Quod ne longiore exordio legentem fatigemus, unum quasi exemplum subiiciemus, quo possit omne genus furculi, omnibus arboribus inferi. Scrobē quoque uersus pedum quatuor ab arbore oliuę tam longè fodito, ut extremi rami oleę possint eam contingere: in scrobē deinde fici arbusculā deponito, diligentiamque adhibeto ut robusta & nitida fiat. Post trienniū aut quinquenniū, cū iam fatis amplū incrementum ceperit, ramum oliuę qui uidebitur nitidissimus, deflecte, & ad crus arboris ficulneę religa: atque ita amputatis cæteris ramulis, ea tantū cacumina quę inserere uoles, relinquito: tum arborē fici detruncato, plagamque leuato, & mediam cunco findito: cacumina deinde oliuę sicuti matri coherent, ex utraq; parte abradito, & ita fissurę fici aptato, cuneūque eximito, & diligēter ramulos colligato ne qua ui reuellātur. Sic interposito triennio coalescet ficus cū olea: & tum demū quarto anno cū bene coierint, uelut propagines, ramulos oliuę à matre refecabis. Hoc modo omne genus in omnē arborē inferitur. Haftenus Columella rerum agri interpretæ aequè facundus, ac diligens.

De insitione, ex Plinio.

Cap. VI.

**S**emine inferere natura docuit raptim  
 Sauium fame deuorato, solidoque, &  
 alui tepore madido, cū fœcundo ster-  
 coris medicamine in mollibus arborū le-  
 cticis abiecto, & uentis sæpè translato in a-  
 liquas corticum rimas. Vnde uidimus e-  
 natam cerasum in salice: platanum in lau-  
 ro, laurum in ceraso, & baccas simul disco-  
 lores. Tradunt & monedulam semina in  
 cauernarum thesauros condentem, eius rei  
 præbuisse causas. Hinc nata inoculatio su-  
 toriæ simili fistula aperiendi in arbore ocu-  
 lum cortice exciso, seménque includendi,  
 eadem fistula sublatū ex alia. In ficis autem  
 & malis hæc fuit inoculatio antiqua. Vir-  
 gilianæ quærit sinum in nodo gemmæ ex-  
 pulsi corticis, gemmámque ex alia arbore  
 includit: & hæctenus natura ipsa docuit.  
 Insitionem autem casus magister alius, &  
 penè numerosior, ad hunc modum expo-  
 suit. Agricola sedulus casam sepiis muni-  
 mento cingens, quò minùs putrescerēt su-  
 des, limen ex hēdera subdidit: at illę uiua-  
 ci morsu apprehensæ, suam ex alieno fece-  
 re uitam, apparuitq; truncū esse pro terra.

ANT. MIZALDI OPVSCVLVM

Aufertur ergo serra æqualiter superficies: læuigatur falce truncus. Ratio postea duplex. Prima inter corticem & lignum inserendi: timebāt enim prisca truncum finire: mox inforare ausi medio, ipsique medullæ calamum imprimebant, unum inferentes: neque enim plures capiebat medulla. Subtilior postea ratio uel senos adiecit, mortalitati eorum & numero succurrere persuasa, trunco per media leniter fisso, cuneoque tenui fissuram custodiente, donec cuspidatim decisis descendat in rimam calamus. Multa in hoc seruanda. Primum omnium quænam arbor patiatur coitum talē, & cuius arboris calamus. Variè quoque, & nō iisdem in partibus succus omnibus subest. Vitib<sup>9</sup>, ficis que media ficciora, & è summa parte cōceptus, ideo illinc furculi petuntur. Olei circa medias succus, inde & furculi: cacumina sitiunt. Facillimè coalescunt quibus eadem corticis natura, quæque pariter florentia eiusdē horæ germinationem, succorūque societatem habent. Reliqua obseruatio ne fissura in nodo fiat (repudiat quippe aduenam inhospitalis duritia) ut in parte nitidissima, ne lōgior multò tribus digitis, ne obliqua,

ne

ne translucens. Virgilius ex cacumine inferi uetat, certúmque est ab humeris arborum orientem æstiuum spectantibus surculos petendos, & è feracibus, & è germine nouello, nisi uetustæ arbori inserantur. ij enim robustiores esse debent. Præterea ut prægnantes, hoc est gemmatione turgentes, & qui parere illo sperauerint anno. Bimi utrique nec tenuiores digito medio. Inseruntur autem & inuersi, cum id agitur ut minor altitudo in latitudinem se fundat. Ante omnia gemmantes nitere conueniet: nihil usquam ulcerosum esse, cicatricosum aut retorridum. spei fauet medulla calami commissuræ, si in matre ligni, corticisque iungatur. id enim satius quam foris cortici æquari. Calami excutio medullam ne nudet tenui tamen fistula detegat, ut fastigatio leui descendat cuneo tribus non ampliore digitis: quod facillime contingit, tinctum aqua radentibus. Calamus ad corticem usque suum deprimatur. Ne luxetur dum deprimitur, neue cortex replicetur in rugas. Ideo lacrymantes calamos inferi non oportet: non, hercule, magis quam aridos: quia illo modo labat humore nimio cortex: hoc uitali defectu non humescit, neque incorporatur. Id etiam religionis seruatur, ut Luna cre-



fcente calamus utraq; deprimatur manu:  
 alioquin in hoc opere duę simul manus mi-  
 nus nituntur, necessario tēperamento: uali-  
 dius enim demissi, tardi<sup>o</sup> ferūt, fortius du-  
 rant. contraria ex diuerso. Ne hiscat nimitū  
 rima, laxęq; capiat, aut ne parū: & expri-  
 mat, aut compressum necet. Hoc maximē  
 præcauendū, ut præualidē accipiētis trunco  
 in media fissura relinquatur. Quidam ue-  
 stigio fissurę falce in truncis facto, salice  
 præligant marginem ipsum: postea cuneos  
 figunt continente uinculo libertatem de-  
 hiscēdi. Quædam in plātario insita, eodem  
 die transferuntur. Si crassior truncus infe-  
 ratur, inter corticem & lignum inferi me-  
 lius est, cuneo optimē osseo, ne cortice rū-  
 patur laxato. Cerasi libro dempto findun-  
 tur: hæ solæ & post brumam inferuntur:  
 dēpto libro habēt ueluti lanuginem, quæ si  
 cōprehendit insitum, putrefacit. incolumi  
 cuneo adactū utilissimē adstringitur. In-  
 ferere aptissimum quamproximū terræ, si  
 patiat nodorum trunciq; ratio. Emi-  
 nere calami sex digitorum longitudine nō  
 ampliùs debēt. Cato argillæ, uel cretæ arc-  
 nam, fimūmq; bubulum admisceri, atq;  
 ita usque ad lentorem subigi iubet, idque  
 inter

interponi & circumlini. Ex iis quæ cōmentatus est facilè apparet illa ætate inter lignū & corticem, nec alio modo inferere solitos: aut ultra latitudinem duūm digitorum calamos demittere. Inferi autem præcipit pyra ac mala per ver, & post solstitium diebus. L. post uindemiā. Oleas autē & ficos per ver tantū, Luna sitiente, hoc est sicca. Præterea post meridiē, ac sine uēto austro. Mirum q̄ non contentus insitum munisse, ut dictū est, & cespitem ab ãmbre frigori- búsq; protexisse, ac mollibus bifidorū uiminum fascibus, lingua bubula (herbæ id genus est) insuper obtegi iubet: eamque il- ligari opertam stramentis. Nunc abundè arbitrantur paleato luto libros farcire, duos digitos insito extante. Verno inferentes tē- pus urget incitantibus se gemmis, præter- quàm in olea, cuius diutissimè oculi partu- riunt, minimūmque succi habent sub cor- tice, qui nimius insitis nocet. Punicam ue- rò & ficum quanquam aliàs sicca sint, re- craftinare minimè utile. Pyrum uel florē- tem inferere licet, & in Maium quoq; men- sem protendere insitionem. Quòd si lon- giùs afferantur pomorum calami, rapo in- fixos optimè custodire succum arbitrātur:

feruari inter duos imbrices iuxta riuos, uel piscinas, utrinque terra obstructos. Emplastrum ratio & ipsa ex inoculatione nata uideri potest: crasso autem maximè cortici cõuenit, sicut & ficis. Ergo amputatis omnibus ramis, ne succum auocent, nitidissima in parte quaque præcipua cernatur hilaritas, exempta scutula (ita ne descendat ultra ferrum) cortici, imprimitur ex alia cortex par cum sui germinis mamma: sic compage densata ut cicatrici locus non sit, & statim fiat unitas, non humorem, non afflatum recipiens: nihilominus tamen & luto munire, & uinculo melius. Hoc genus nõ pridem repertum uolunt qui nouis moribus fauent. Sed id etiam apud ueteres Græcos inuenitur, & apud Catonẽ, qui oleam ficumque sic inseri iussit: mensura etiam præfinita, secundum reliquam diligentiam suam: cortices scalpro excidi quatuor digitorum longitudine & trium latitudine: atque ita coagmẽtari, & illa sua intrita oblini: eadem ratione & in malo. Quidã huic generi miscuere fissuram in uitibus, exempta cortice tessella, surculo à latere plano adigendo. Tot modis insitam arborem uidimus iuxta Tiburtes Tulas, omni genere pomor-

pomorum onustam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde uite, ficis, pyris, punicis, malorúmque generibus: sed huic breuis fuit uita. Nec tamen omnem experimentis assequi naturá possumus. Capacissima insitorum omnium dicitur platanus, postea robur: uerùm utraque sapes corrumpunt. Quædam omni genere inseruntur, ut ficus & punicæ. Vitis non recipit emplastra, nec quibus tenuis ac caducus, rimosúsque cortex. neque inoculationē siccæ ac humoris exigui. Fertilissima omniū inoculatio, postea emplastratio. sed utraq; infirmissima. Quæ cortice nituntur tantú, uel leni aura ocysimè deplantátur. Inserere firmissimú & foecúdius quàm serere. Hactenus Plin.

De insitione, ex Palladio, maximè earú arborum quas libro. 3. Hortensium ex ordine descripsimus.

### Caput VII.

**I**ncipiam quicquid ueteres scripsere coloni,  
 Sacraque priscorum uerba labore sequar.  
 Principio multas species industria solers  
 Protulit, & doctam iussit inire manum.  
 Nam quæcunque uirens alienis frondibus arbor  
 Comitur, his discit credita ferre modis.  
 Aut noua discreto figuntur germina libro:  
 Aut aliud summo robore fissa capit.  
 Aut uirides oculos extremi gemma tumoris  
 Accipit, & lento stringitur uda sinu.

ANT. MIZALDI OPVSCVLVM

De Malo.

Infita proceris pergit concrefcere ramis,  
 E sociam mutat malus amica pyrum.  
 Sequē feros syluis hortatur linquere mores:  
 Et partu gaudet nobiliore frui.  
 Spiniferas prunos, armataque robora fentes  
 Leuigat, & pulchris uestit adulta comis.  
 Exiguam forbum dulci distendere succo  
 Nouit, & ad cupidas flectere poma manus.  
 Robora thyrsifero platani concordia Baccho,  
 Fœtibus instituit plena rubore nouis.  
 Illius insolitas miratur perficus umbras,  
 Populeæque ferunt candida dona comæ.  
 Mespilus huic paret, lapidosaque uiscera mutans  
 Tenditur, & niueo plena liquore rubet.  
 Pro sudibus fœtis, & pro prænantibus armis  
 Castaneæ fuluum dant noua mala decus.

De Pyro.

Germine cana pyrus, niueos haud inuida flores  
 Commodat, & uarium neçtit amore nemus.  
 Nunc rapit hirsutis horrenda tororibus arma,  
 Et docet indomitas ponere tela pyros.  
 Nunc teretem pingui producit acumine malum:  
 Fraxineâsque nouo flectit honore manus.  
 Phyllida quinetiam grandi mitescere fructu  
 Instituens, duræ dat sua membra cuti.  
 Et steriles pinos, & inertem fœtibus ornum  
 Dotat, & ignotum cogit amare decus.  
 Huius & immissi uertère cydonia rami,  
 Pomâque confusus blanda creauit odor.  
 Castaneæ septos aspro uelamine fœtus  
 Exiit, & placido pondere mutat onus.  
 Mespilâque exarmat, pugnacibus horrida membris  
 Et mala tranquillo cortice uota premit.  
 Creditur in Libycis sua germina neçlere ramis,  
 Latâque puniceo posse decore frui.

## De Cotonea.

Cum præstet cunctis se fulua cydonia pomis,  
 Alterius nullo creditur hospitio.  
 Roboris externi librum aspernata superbit,  
 Scit tantum nullo crescere posse decus.  
 Sed propriis pandens cognata cubilia ramis  
 Stat, contenta suum nobilitare bonum.

## De Pruno.

Pruna suis addunt felicia germina membris:  
 Donaque cognato corpore lata ferunt.  
 Exarmat foetus, sed brachia roboris armat  
 Castaneæ prunus iussa tenere larem.

## De Ceraso.

Inferitur lauto cerasus, partuque coacto  
 Tingit adoptiuus virginis ora pudor.  
 Ymbrantes platanos & iniquam robore prunum  
 Compellit gemmis pingere membra suis.  
 Populeasque nouo distinguit munere frondes:  
 Sic blandus spargit brachia cana rubor.

## De Moro.

Mutua quinetiam moris commercia ficus  
 Præstat, & oblatum robore germen alit.  
 Fraxinus huic auidæ confert sua membra forori:  
 Et metuit foetus sparsa cruore novos.  
 Proceras fagos, & poma hirsuta uirentis  
 Castaneæ, duris aspera mala comis  
 Inficiens, monstrat piceo nigrescere partu:  
 Et succo pascit turgida poma nouo.  
 Obsequitur moris blando terebinthus odore:  
 Et geminis ueniunt munera mista bonis.

## De Perfico.

Ipsa suos onerat meliori germine ramos  
 Perficus, & pruno scit fociare genus.  
 Imponitque leues in stipite phyllidis umbras,  
 Et tali discit fortior esse gradu.

## De Mespilo.

Aemula dura pyri despecti mala faporis  
 Mespilus admissio germine tuta subit.  
 It geminis sese uiolentior inserit armis:  
 Atque auidas terrent robora sæua manus.

## De Sorbo.

Sorba suos partus meritò maioris honestant  
 Seminis, & pulchro curua labore nitent.  
 Hæc arbos spinæ duros mucronibus artus  
 Exuit, ac libris mitibus arma tegit.  
 Aureaque annexo miscere cydonia fœtu  
 Gaudet, & externi dona coloris amat.

## De Nuce.

Arbuteas frondeis uastæ nucis occupat umbra:  
 Pomaque sub duplici cortice tuta refert.

## De Amygdalo.

Phyllis odoratos primæuis floribus artus  
 Discissi pruni cortice fixa tegit.  
 Pomaque permutat uelamine perfica muslo:  
 Duritiemque docet tegminis esse loco.  
 In modicam tornat filiqua tendente figuram:  
 Et frondes pulchro ditat odore feras.

Castaneámque truce[m] depulsis cogit echinis  
Mirari fructus læuia poma sui.

## De Ficu.

Perfuadet moris tetrum mutare colorem  
Ficus, & inuasis dat sua iura pomis.  
Se quoque miratur pingui grandescere succo  
Et solitum gaudet uincere poma modum.  
Insignes foliis platanos, foelicia mensis  
Brachia, gaudentes uiris honore comas.  
Ingrediens pingui se cortice maxima ficus  
Seruat, & optatos implet adepta sinus.

## De Punica.

Punica non alios unquam dignata sapes  
Mala, nec externis associata comis :  
Ipsa suas augent mutato semine gemmas,  
Et sibi cognato picta rubore placent.

## De Citrio.

Necnon & citrij patiuntur mutua rami  
Pignora, quæ grauido cortice morus alit.  
Pomaque pasturi blando redolentia succo  
Armatis mutant spicula nota pyris.

## De Oliua.

Robora Palladij decorant syluestria rami:  
Nobilitat partus bacca superba feros:  
Fœcundat sterilis pingueis oleaster oliuas:  
Et quæ non nouit munera, ferre docet.



De infitione, ex Petro Crescentio de-  
cerpta ad uerbum.

Caput VIII.

**O** Portet scire quòd infitionum multi  
sunt modi. Primus quidē est quòd  
fraga eiusdem arboris omnia ultra  
medium medullæ ex transuerso incidan-  
tur, & tunc alligetur quod incisum est, si-  
cut vulnera ligari consueuerunt: & circū-  
ponatur cera uel lutum ad pluuiæ & extrin-  
secorum nocumentorum defensionem: &  
ne rumpi aut corū plagæ aperiri agitatione  
uentorum possint, conuenientibus perticis  
muniantur: statim enim consolidato vul-  
nere superior pars emundatum in sapore  
profert fructum propter digestoinem succi  
in nodo factam, & hoc propriè dicitur in-  
fittio: quæ quidem plantam in alteram non  
transmutat speciem seu genus, sed eam de  
syluestri domesticam facit. Secundus mo-  
dus est quòd una & eadem arbor abscinda-  
tur in trunco, & fragum superius in eadem  
arbore acceptum, trunco suo inseratur: tūc  
enim conualescens infita, profert fructum  
alterius generis in sapore, & quantitate &  
figura quàm prius protulerat: & iste modus  
fecit diuersitatem omnem quæ est in malis  
& pyris,

& pyris, & cæteris fructibus. Tanta enim est uis nodi & conuersionis pororum qui prius ascenderunt, quòd succum ex nodis retentum dirigunt ad aliam formam plantalem, quæ monstratur in quantitate & sapore fructus. Tertius modus inuentus est in uite & quibusdam aliis quæ ex medulla crescunt: uidelicet quòd gemma unius uitis excidatur usque ad medullam profundè, vulnere transuerso & obliquato: & tantundem de gemma uitis alterius eruitur, & loco alterius ponitur, & fit colligatio sicut in aliis, & tunc cõualescit & fructificat. Fieret fortè in aliis arborib<sup>9</sup>, sed in uite expertum est. Quartus insitionis modus est quo fragum arboris unius in aliam inseritur arborem: conualescitque & fructificat in ea per modum qui sæpè dictus est. Et iste modus regulariter cùm fuerit magis similius erit melior & citiùs cõualescens: & fit propriè in illis arboribus quæ rectos habent poros, & per tunicas ligatas, à radice accipiunt nutrimentum. Sed iste modus & similiter secundus in plures subdiuiduntur modos. Vnus quidem est quo surculus inserendus inter corticem & lignum nouæ matris imprimitur. Secundus cùm sureulus scisso li-

gno infigitur . Tertius fit more emplaftri .  
 Quartus dicitur ad buccellum . Quintus ue-  
 rò falicis pertica perforata . De omnib<sup>9</sup> per  
 ordinem dicendum est . Primus quidē mo-  
 dus quo furculus inter corticem lignūmq;  
 deponitur, fit hoc modo . Trūcū ferra acuta  
 recidim<sup>9</sup> in loco nitido & succoso: ipfūmq;  
 cū fascia corticis defuper polimus : deinde  
 uimine falicis, aut ulmi ligamus: ibiq; inter  
 corticem & lignum cuneum ferreum, uel  
 offeum, in acutum tendentem, ab una par-  
 te latum, & ab alia quasi rotundum, tribus  
 propè digitis deponimus, confiderando ne  
 corticis fascia fcindatur : & in eum locum  
 fubducto cuneo ftatim furculum mergi-  
 mus ab una parte decifum, falua medulla  
 & cortice partis alterius, pellicula exteri-  
 ori remota : ita quòd optimè trunco adhæ-  
 reat furculi incifura : qui fuper truncum  
 quatuor aut fex digitis emineat, uel ufq; ad  
 octo . Duos uel tres, uel plures furculos pro  
 trunci qualitate conftituimus, quaternis di-  
 gitis uel amplius ad minus inter eos fpatiū  
 relinquentes, & lutum defuper conuenien-  
 ter ponentes, & peciam difponentes, uel li-  
 gantes . Hic autem modus optimè cōprehē-  
 dit & conualefcit : fed fieri non potefl nifi  
 mēfe

mense Martio uel Aprili, cùm iam potest  
 lignũ à cortice separari. Sed nec fieri potest  
 nisi in crasso trunco uel mediocri: & in his  
 arboribus quæ crassum habent corticem &  
 pinguem: ut ficus, pyrus, malus & similes.  
 Conualefcit autẽ optimè iuxta terram hu-  
 iusmodi facta incisio: & etiam in quacunq;  
 parte stipitis & crassorũ ramorum satis cõ-  
 gruè prouenit: sed omnis furculus duobus  
 adminiculis ad minus, propter uentorũ ra-  
 biẽ indiget. Modus autẽ secundus qui scisso  
 fit stipite hoc modo aggrediendus est. Re-  
 secetur truncus & desuper poliatur, ut di-  
 ctũ est superius: deinde scindatur in ea par-  
 te quæ magis succosa uidetur, & quæ corti-  
 cem ibidem planũ & adæquationi furculi  
 cõgruũ cernatur habere: quod maximè in-  
 uenis ubi maius est spatium inter corticem  
 & medullã propter abundantiam nutritimẽ-  
 ti quod ad partem illã accessit. Si antequã  
 scindas, uinculũ prope summum truncum  
 stipitis ligaueris, cũ minima scissura longi-  
 tudinis defendet: deinde cuneũ duobus di-  
 gitis uel quid minus, longum formabis: &  
 aperta scissura eo, sublataq; omni lanugine  
 de ipsius scissuræ labiis, furculum ab utraq;  
 parte decisum immerges: taliter q; cortex

corticis adæquetur in parte exteriori, & lignum ligno interiori: ut succus inter cortices & ligna possit liberius pertrāsire. In scissura etiā furculi optimè trūco nouę matris adhæreat: deinde subducto cuneo, furculus in trunco spōtè immixtus cōstringatur. Super rimulas cōiungēdas & cortices, aliquid corticis huius arboris uel panni linei cerati ponatur, & cū iunco strictè ligetur. Deinde (ut ait Cato) subtili puluere in superiorem scissurā immixto, creta plurimū cōprehēsa cum pauca arena & fimo bubulo, uel cū cera super truncū & ligaturam ad defensionem caloris, uenti & pluuię congruè disponatur & pecia fasciatur. Ego autē plūq̄ millesies probaui & semper inueni sufficere solam cretā bene cōpressam sine fimo & arena, uel cera & puluere. Hęc etiam in scissura proderūt, si uapor à radice ascendēs ad nouum alendū furculū foras egrediens denegetur. Notandū tamen q̄ istiusmodi & actus & operatio diuersificatur secūndum diuersitatem crassitudinis & tenuitatis stipitis inserendi, & cunei furculi incidendi. Nam inserendus stipex furculo crassior est paulò aut multò. Si multò, duobus potest scindi modis. Vno, ut ab una parte stipitis usque

usq; ad medullam tantum cum congruo ad hoc scalpro scindatur, ubi unus tantum furculus infigatur. Altero ut ab una parte stipitis ad aliam scissuram pertrahatur: ibiq; duo furculi scilicet unus a qualibet parte ponatur: uel unus tantum si placuerit ab una parte, altera uacua remanente. Si uero stipex est paulo crassior furculo, necessario per medium scinditur, & unum solum recipit furculum. Vbiq; autem unus tantum modo furculus ponendus est debet cuneus eius formari ut in scissura ex utraq; parte facta, tertia cum cortice conuenienti remaneat: in quarta uero que intra stipitem stare debet, nihil corticis & latitudinis uideatur, aut modicum eo modo melius quo furculus in cortice, quam in ligni stipite exterius & interius adæquetur. Vbi autem duo furculi sunt ponendi, fit scissura cunei a duabus partibus prope medullam: quæ etiam ad medullam & acumen accedat: ab aliis duabus partibus fit quasi eiusdem latitudinis: ita quod pars paulo latior cum omni cortice permanens, extra cum cortice matris æquetur: pars uero strictior, remota exteriori corticula uersus medullam stipitis interius disponatur. Si autem stipex est æqualis furculo qui inferitur, formetur cuneus, ut ab utraq; parte fit

cortex, & utrarūq; fiat æquatio, & cortice & peciola super riuulas posita, subtili uinculo scisso, uel cordula cū modica strictura ligetur: & postmodū cum creta, seu terra & peciola fascietur. Et hic modus iuxta terrā & in altū, & in summitatibus optimè conualescit: ac omnes istæ formæ quæ fiunt scisso trunco, possunt fieri cōuenienter mēse Februario & Martio, etiā mēse Aprili si surculus omni terra priuetur: & melius si colligantur antè q̄ pullulēt, & diu sub terra in loco frigido umbroso seruētur, summitatibus nō subuersis. Et etiam mense Ianuario cū calefactione ignis facta insitio cōprehendit, cū eius auxilio agglutinās concurrat succus: sed tunc tēporis erit insitio cæteris melior, & melius cōualescens cū iam cortici se uiridis succus intulerit, & gemmæ inci piunt esse suspectæ. Ego etiam malorū insitiones feci circa principiū Augusti de surculis illa estate maturatis: & satis cōgruè pro uenerūt. Verūtamen talis insitio faciēda est sub terra, uel modicū supra eā: ut tumulatione terræ à tanto æstu insita defensetur: uel supra eam uas aliquod stillans suspēdatur: & eo auxilio poterit hoc tempore etiā in altū fieri. Fit etiam, ut ait Varro, hæc insitio

fitio commodè in solstitio æstiuo & Caniculae signo, ac præcipuè in fico. Potest etiam prædicta insitio fieri sub terra & circa terram, seu modicum supra terram: ubi sine dubio insiti ramusculi proueniunt omnibus aliis locis ad incrementa maiora: quia ibi lignum & cortex maximè beneficio soli adherentis humescit: quæ insitio propriè arbusculis conuenit. Si uerò arbor mediocriter magna fuerit, cõmodiùs erit eandem locis altioribus inferere: ubi cortex sit uiridis & succosus, quàm ipsam circa terram inferere: quia sic fructus ex ea pluribus annis tardius haberetur: uerùtamen quantò magis inferiùs fiet, tantò magis domesticabitur fructus. Si uerò fuerit arbor magna plurimos habens ramos, nihil erit utilius quàm ramos in locis nitidis refecare, ibiq; quotcũq; uolueris furculos inferere. Quòd si adeò uetusta est arbor ut ramorũ cortices nimium sint rugosi ac humore cõsumpti, arbor eadẽ incidatur, & relinquatur incisa usq; ad annum sequentẽ, & tunc inferãtur furculi qui in ea nati fuerint lætiores & in cõmodiore parte locati, circũcisis ceteris & abiectis: qui tot numero esse poterunt, quot inserenti placebit: quia omnem numerum furculo-



rum sufficienter nutriet talis arbor. Modus quidem inferendi quem Palladius emplastrationem uocat, sic ab eodem fieri affirmatur. Ex nouellis ramis incisis & feracibus gēma quæ bene apparebit sine dubio processura, duobus digitis quadratis circūfignetur, ut ipsa statuatur in medio, & ita subtiliter cortex leuetur acutissimo scalpro ne gēma lædatur. Item ex ea arbore cui gestimus inferere, similiter cū gemma tollatur emplastrū, nitido tamen atq; ubere loco: tunc ibi conuenienter impressum circa gemmam uinculis cogitur coherere sine læsione germinis: tunc luto superlinis & liberam gemmā relinquis. Cui multūm proderit si peciola cū cera super iuncturam & rimulas corticū apponatur, ad extrinsecorū nocumentorū defensionē, & nutriētis succi ac uaporis uiuifici retentionē. Ramos deinde superiores huius arboris refecabis: ne mater proprios uolēs nutrire ramos, alienū filium sibi propter utilitatem radicū per eundem relinquatur. Deinde uerò uiginti diebus exactis aut pluribus, resolutis uinculis reperiēs externi seminis gemmam mirè in arboris alienæ membra transfixā. Hic autem modus mense Iunio fieri posse asseritur:

afferitur: licet & antè, & post modicum  
 cōprehendat: dummodo gēma conueniens  
 habeatur. Est modus vulgariter ad buccel-  
 lū dictus qui huic proximo est plurimū af-  
 finis: fit hoc modo. Buccellus paruus cras-  
 situdine pollicis longus, cū gēma in medio,  
 de nouo furculo cleuetur eiusdem crassitu-  
 dinis, suo cortice in tres uel quatuor partes  
 scisso & denudato ponatur, & tantū in-  
 ferius consideratè comprimatur, quòd li-  
 gno stipitis mediocriter strictè adhæreat:  
 & cortex appositi furculi non scindatur, &  
 siue gemma posita super locū gemmæ sub-  
 lata ponatur, siue non, nihilominus sine  
 aliquo ligaturæ uel alterius rei auxilio con-  
 ualescit. Abscindēda tamen est omnis cir-  
 cundans soboles furculorum, ne insitæ sur-  
 riptat nutrimentum: ei tamen magnum  
 adminiculum præstabit, si cortex pendens  
 taliter rescindatur, quòd remanenti appo-  
 situs buccellus subtiliter adæquetur: & pro-  
 pter dictam causam peciola, deinde creta  
 super iuncturam & totum buccellū pona-  
 tur, libera gemma relicta: postea ne cera  
 cadat, linea pecia fascietur. Fiat autem hic  
 modus mense Martio, dum cortex separa-  
 tur à ligno, & mense Aprili & Maio. Sur-

culi antequam gemment collecti seruatur  
 in loco frigido & umbroso ne pullulent,  
 sub terra pro parte submersi. Item expertū  
 est in mēse Iunio circa finem & Iulio buc-  
 cellū paruum cum gemma de nouissimo  
 surculo eleuatum, & in nouissimo surculo  
 positum eiusdem crassitudinis, siue gem-  
 mæ adæquentur, siue non, sine aliquo au-  
 xilio ligaturæ uel alterius rei, optimè con-  
 ualere. Et tam hic modus, quàm superior  
 qui emplastratio dicitur, locum habet in  
 his solis arboribus quibus succus pinguis  
 est in cortice: ut ficis, oleis, castaneis & si-  
 milibus. Potest etiam sine abscissione inse-  
 rendi surculi eleuari buccellus, & domesti-  
 cus eiusdē crassitudinis ab una parte scif-  
 sus ibidem apponi, & cū filo ligari ac præ-  
 parari, ut dictum est suprà. & ubi compre-  
 hendisse uidebitur supra buccellum abscin-  
 de: relicta enim summitas succū ad buccel-  
 lū fortiùs attrahit quàm abscissa: & hoc modo  
 possunt plures eiusdē speciei & diuersarū in  
 una uirga formari. Modus qui fit in salicis  
 pertica fit hoc modo: Pertica uel baculus di-  
 ctorū lignorū perforetur subtili terebra &  
 acuta: ita quòd inter unū foramen & alterū  
 fit spatiū semipedis: & surculus modicum  
 raso

raſo cortice intromiſſus iungatur in ſcrobe  
furculis eleuatis : ita tamen quòd pertica  
ſaltem ſalicis, ſummitas remaneat ſupra  
terram : hinc uerò poſt annum materia to-  
taliter eleuata, & inter furculos incifa, plā-  
tam quamlibet radicib<sup>9</sup> plurimis decoratā  
in ordinata ſcrobe depone: cui forſan pro-  
derit ſi creta uel cera foramina & eorum  
ſciſſuræ undique optimè obturentur. Qui-  
dam autem mihi aſſeruit ſe expertū fuiſſe  
hanc inſitionem in palo ſalicis uiridi per-  
forato uſque ad medullam ſolummodo, &  
infixiſſe furculos æqualis craſſitudinis re-  
moto cortice, quatenus intrarent in fora-  
mē: ut cortex furculi æquaretur cortici pa-  
li, & cum cera omnem rimulam obturaſſe,  
& poſuiſſe palum ſub terra, quatuor digitis  
iacentem in loco aquoſo : ita quòd de palo  
nihil apparuit, ſed ſolūm furculi ſupra ter-  
ram, & comprehendiffe optimè omnes: &  
reſecato inter furculos trunco plantaſſe &  
bene conualuiſſe. Alium modum inſeren-  
di retulit Columella dicēs Gallica terebra  
uſque ad medullam arborem perforandā,  
plaga interiùs leniter inclinata : ubi dedu-  
cto omni fragmine, uitem uel rimum ad  
modum foraminis, delibratum, ſuccidum

tamen & humidum strictim imprimi iubet, una uel duabus gemmis foris relictis: & tunc argilla & musco locum diligenter operiri: & ita uites in ulmo inferi posse dicit. Prædicti autem duo modi fieri possunt in mēse Martio, uel principio Aprilis: aut cū uiridis & nouus succus calore aëris dissolutus mouetur in cortice. Item scribit Varro alium modum inserēdi suo tempore inuentum in propinquis arboribus, hoc modo. De arbore ex qua uult habere surculum in eam quam inferere uult, ramulum traducit: & in eius ramo præciso ac defixo implicat in locum, quod contingit ex utraque parte quod intus est falce extenuatum, ita quod ex una parte qua cœlum uisurum est, corticem cum cortice æquatū habeat eius ramuli quem inseret: cacumen ut directum sit ad cœlum postero curet anno: dum comprehenderit, unum propagatum ab altera arbore procedit. Ex prædictis igitur patet, quòd licet insitio in similia sit melior, tamen in dissimilia plurimum conualescit, & infinita mirabilia facit, quæ apparēt his qui experiri desiderāt, & in talibus exercitantur.

Haëtenus Pet. Crescentius, qui insitio-  
num

num historiam confusam & impeditã nobis reliquit, ut legenti facilè erit iudicare. In qua nihil immutare uisum fuit, siue sententiam spectes, siue dictionem, quæ multis locis inepta est ac ridicula: sed ornari res ista negat, contenta doceri. Multra sanè occurrent, quæ nõ Dauum, sed Oedipum desyderabunt, quod corruptissimo exemplari, ex quo hæc uerbum è uerbo transcripsimus, acceptum ferre licebit.

De insitione, ex lib. Iouiani Pontani  
de hortis Hesperidum. Cap. IX.

**I**Am reliqua insitio est, hominũque industria: nunc tu  
Huc aduerte animum, & ueterum cape dicta uirorum.  
Imprimis ramos libro demitte sub udo  
Artifici dextra: fisso nunc iniice ligno,  
Atque altè impacto cuneo inferito: alteriũsue  
Corticibus iunge, & cera mox illine adacta:  
Vlmeaque obseptis constringito uincula plagis:  
Ac pluuiam arceto coniecti cespitis herba.  
Nunc & crescentem uicino è margine uirgam  
Admoue, & inciso leui sub uulnere libro  
Sic fige, ut lento non desint cingula nodo.  
Aut & eam trans mitte forato ad uiscera trunco:  
Mirantem latebrãsq; cauas, & opera uiarum,  
Né ue excide illam: finito de matre propinqua  
Hauriat ut succos solitos: solita ubera lactet:  
Donec eam grandem natu, longèque ualentem,  
Atque nouercales stringentem enixiũs uinas  
Videris & proprio meditãtem uiuere succo:  
Tunc abrumpe manu, materna & stirpe reuelle:  
Crescet, & immensum ducet latè aucta cacumen.

ANT. MIZALDI OPVSCVLVM

Interea lato surgit dum surculus auctu,  
 Sæpè riga, sæpè eductas de stipite gemmas  
 Euelle, & duris inuerte ligonibus arua:  
 Ac matri blandire sua dum prole repulsa  
 Cogitur indignans alienos pascere foetus.  
 Quin & surgentem sobolem defende sub umbra  
 Frondentis rami, dum Sol furit, & furit æstas  
 Victa siti: idem ipse in glacie rege: tecta supernè  
 Insternens crassa è stipula, cannaue palustri,  
 Vrat ne teneras rabies aquilonia thýrsos,  
 Cum primis ualida nitatur surculus hasta,  
 A uento tutus, longèque urgente procella:  
 Et nunc scalpello tenui, nunc molliter ungui  
 Detondens, prima luxum compefce iuuenta.  
 Utendum parcè ferro: sed nec tamen ipsa  
 Luxuries toleranda uenit, quæ scitibus obstat.  
 Atque equidem memini (tantùm se industria prompsit)  
 Qui diuersa quidem, parua sed semina in urna  
 Condat: & educens collo breuiore stiones  
 Subducâtque, arctétque manu, ac sub uincula cogat  
 Crescenteis: hi tandem uno se stipite miscent,  
 Atque uno obducunt se cortice: néue flagella  
 Dilabi finito: neu summa cacumina uentus  
 Diuellat, cera linito, aut diducat adulta,  
 Vnguine dum proprio corpus iunguntur in unum:  
 Atque operit lentum sub eodem codice gluten.  
 Postquam alta steterit radice infossa, & opimum  
 Raptarit stirpes succum, mirabere poma  
 Plenâque gratâque: non uno tamen una sapore.  
 Sunt qui diuersos ramos, sed cortice raso  
 Coniungant, stringântque simul quo glutine misto  
 Increfant æquè: & fasso mox stipite iunctos  
 Infigant pariter: tum vulnus ritè coronent:  
 Et fallax opus admotâ tueantur ab arte,  
 Quò ramo ex uno, atque uno de palmire fructus  
 Non uni ueniant, sit honos & gloria ruri:  
 Gaudet enim insolito natura adiuta fauore,  
 Porrò non defunt, qui scisso codice, adactò  
 Dilatent vulnus cuneo: mox vulnere crudo

Includent

Includunt gemmas alienæ stirpis alumnas:  
 Ac tenui obstringunt uitta: non fit mora, longos  
 Emittunt ramos, & latè brachia fundunt:  
 Sic dorso alterius (mirum) noua pullulat arbor.  
 Quinetiam alterius nudato cortice, plantam  
 Vidimus alterius, frondente cacumine, ramos  
 Erigere: ingentem & tunica sobolescere sylum:  
 Et stirpem informem nemora in generosa nouari.  
 Ergo castanea è molli, è præstante sagitta  
 Laudatæ genitricis, adulto & germine, uirgam  
 Exuito, exuias gemmisque, oculisque nitentis  
 Seligito: his sterili spoliatum cortice truncum  
 Degenerem induito, uineloque urgente ligato:  
 Quo sese & pluuiæ, & Solis tueatur ab æstu:  
 Necte blanda manus finito frustretur inertem:  
 Aut ludat tunica uitiosum arente flagellum.  
 Jam uideas docili è planta pubescere prolem  
 Frugiferam tunc carpe manu, tunc erue ferro  
 Quod superat matre è sterili: & blandire nouellis,  
 Mira fides nitidis palmes se tollet alumnis.  
 Sic quæ olim sterilis fuit arbor & horrida cultu,  
 Sponte sua, nullisque hominum ante obnoxia curis,  
 Mutabit genium, uertèrque ad munera frugum.

## Ex eodem.

Quando & inexpertum nihil ars sinit, hoc quoq; & hortis  
 Accedat, uel dictu etiam mirabile: de quo  
 Quamuis longè audax, quanquam sibi conscius usus  
 Addubitet. Ramum fœcunda è matre reuulsum  
 Decutiens capito: cæsum mox undique librum  
 Aequatis ferro spatii, dextrâque volentem  
 Exuito: inde pari confossum vulnere dorsum  
 Stipitis alterius nudato, & ueste recenti  
 Induito: ut coëant extremis partibus oræ  
 Vestis, & è lento mollescant vulnera limbo.  
 Vlmcæ dein teneris indantur cingula plagis:  
 Vincula quæ ingentis committunt vulneris ora,  
 Vestiat & frondens truncum toga: pellat ut imbres,  
Arceat



Arceat ut Soles, & seuæ uredinis iram.  
 Dij facinus mirandum! herenti è cortice, cortex  
 Ipse nouus uictum medius rapit: atque supernis  
 Instillat ramis: quæque in sua pabula traxit  
 Esuriens alimenta, suo & de fonte refusa  
 ipse suis infundit alumnis, ipse & amicum  
 Irrorat lac, ut sensim in sua nomina uertat:  
 Ramosque, frondésque, & eodem semina fetu:  
 Antè quater nidum in tignis quàm figat hirundo,  
 Et quater extincti renouet quàm funera nati,  
 Tantùm ars ipsa ualet, tantùmque industria pollet:  
 Et tantùm infitio fecundos adiuuat hortos:  
 Cui fauet impatiens ocij languentis egestas.

Haectenus Iouianus Pontanus, qui sub  
 citriorum & limoniorum infitione, quas  
 uis alias docto & erudito carmine per oc-  
 casionem complexus est. Vir sanè admira-  
 bilis & summa laude dignus: qui rem tam  
 impeditam & difficilem, tam eleganti car-  
 mine facilem ac familiarem reddiderit.

Infitionis ope & artificio multa ad stu-  
 porems usque miranda fieri.

Caput X.

**M**ulta sunt in numerofo illo rerum  
 mundi theatro, miraculi loco ha-  
 bita, quæ uel fortuitus edidit casus,  
 uel ingeniosa hominum effinxit industria,  
 comite labore, & experientia duce. Ex quo  
 rectè scripsisse mihi uidetur poëta,

Ipsa

*Ipsa nouas artes, uaria experientia rerum,  
Et labor ostendit miseris, usúsque magister.*

Causa cum plerosque lateat, illis tantum miraculi & stuporis ingerit, ut præter naturam, talia euenire censeant. Res ea cum in aliis multis, tum in arborum insitionibus locum habere maximè solet. Quarum ope & ingenioso artificio, fieri plerumque uidemus, ut una arbor prodigioso spectaculo, diuersi generis uariique gustus, odoris, & coloris, poma, nuces, uvas, flores, & alia ab uno & eodem trunco emergentia, proferat: ut oculis intuentium nihil admirabilius occurrere possit. Quod ut demonstrarem, & exemplis, cum ueterum, tum recentiorum confirmem, producam oculos testes duos. Plinium imprimis, uirum omni exceptione maiorem. Vidimus, inquit, insitam arborem iuxta Tiburtes Tullias, omni genere pomorum onustam: alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde uite, ficis, pyris, punicis, malorumque generibus. sed huic breuis fuit uita. Producam prætereà & Ioannem Baptistam à porta Neapolitanum, lib. 2. suæ Magiæ naturalis hunc in modum scribentem. Vnam, inquit, nouimus arborē delicias horti nū-

## ANT. MIZALDI OPVSCVLVM

cupatam, crassitudinis & proceritatis non ingrata: quæ præpingui, riguo & superfoetante solo confita erat: ut tum plâtae uigore, tum humi ubertate, insitis alimentû suppeditaret. Erat trifurca: in uno ramo vuâ vnâ, & item alteram uinaceis uacuâ, discolorem & medicatam gerens: quarum altera soporem, altera alui deiectionē moliebatur. Secundus ramus persicum adferebat, ex persico & nuci persico interuallis pluribus æquè distinctum, absque ullo osse. Quòd si cui inerat, nucleum dulcem uti amygdala dabat: & nunc hominum, nunc animalium faciem ementiebatur pomum, diuersaque lineamenta demonstrabat. Tertius cerasia exossa, acida, ac dulcia emittebat: adhæc mala aurea. Cortex floribus rosisque confitus erat: fructusque ipsi debitam magnitudinem superabant & aliis dulciores ac odoratiores erant. Verno tempore efflorescebat arbor, & ultra debitum tempus suos foetus producebat, qui diu in arbore morabantur, & continuæ fecunditatis orbem toto anno ministrabant. Nam per quosdam gradus poma sibi succedebant, & foetura interpolabatur. Brachia ponderibus inclinata procumbebant: denique sic  
 cœlum

cœlum fauebat, ut pulchriorem arborem non conspexerim. Hactenus ille, ex quo historiam tam rare & pulchræ arboris huc proferre uoluimus, ut intelligeres,

Quantùm ars ipsa ualet, quantùmq; industria pollet:  
Et quantùm insitio fœcundos adiunat hortos:  
Cui fauet impatiens ocij labor, optimus artis  
Cuiuscunque dator.

Hæc sunt quæ de insitionibus ex Græcis & Latinis rerum agri doctoribus eximiis in præsentiarû adferre possum. Quæ si parùm accuratè curata quis dicet, curiosus si curabit, curam sibi procurabit, & amicitiam nostram sibi conciliabit.

Finis Opusculi Insitionum Ant. Mizaldi studio & diligentia concinnati.

D ij

ANT. MIZALDI  
DENDRANATOME,  
seu partium corporis arborei expli-  
catio breuis . vbi de earun-  
dem nutritione.

**R**atio uerissimum esse nos docet, rerū  
omnium parentem nihil fecisse fru-  
stra: dedisseque rebus omnibus partes  
& mēbra, quæ illis ad usum necessaria præ-  
uidebat. Sic arboribus radices, uelut funda-  
menta quædam iecit: ut iis quasi pedibus  
subsisterent ac firmarentur. Quibus trun-  
cum superposuit, ceu quandā corporis sta-  
turam & habitum: ramisq; , quasi brachiis  
rursus illum diffudit: atque ex his caules ac  
furculos elicuit, ueluti manus & digitos:  
eorūque alios fructu donauit, alios fron-  
de sola uestiuit, ad protegendos tutandōsq;  
partus. Cæterum, his omnibus corticem,  
ceū cutem quandam apposuit: cui humor  
subest, qui sanguis intelligi debet, omnia  
alens, uegetans & sustinens: unde etiam ar-  
boris caro coalescit, cortici proxima: cui  
uenæ insunt per caules & furculos, ad folia  
usque perreptantes. Insunt & succis adipēs,  
qui à colore Alburnum uocantur: mollis  
ac pessima pars arboreæ carnis, nam facile  
putrescit.

putrescit. Subtument & carni glandia, perinde atque in corporibus humanis, quodã callo carnis in se conuoluto. Latet postremò medulla in singularũ partiũ medutullo, ut in solidis animantiũ partibus. Morbos tam partiũ istarũ, quàm uniuersi corporis arborei, initio libri tertij nostrę Hortensium historiæ utcunque expediuimus, adhibitis remediis & auxiliis. De arborea anatome hætenus: uenio ad nutritionem. Cùm omne quod adolescit, augeturque, capessat alimentum oportet, caloris attrahētis, & concoquentis beneficio illud suppeditari necessum est. Arbores itaque caloris principium aliquod habere par est, quo radicibus alimentum ex nutritio terræ sinu, ceu ab altricis uberibus, confectum sugant & hauriant. Nam terra perinde atq; ubere utuntur: ita ut radices proximo & illibato eius succo primùm alantur: dein residuum ad truncum & illius partes subministretur ac transmeet, donec ad summum & ultimum surculum ac folium, transmissione & ministracione peruentum sit. Naturali enim ui ac facultate alimētum per medullam trunci, ceu per canalem, cæcis quibusdam meatibus ad summum usque & extre-

mum undiquaque distribuitur. Quò cùm  
 peruenerit, ibi consistit atque absumitur:  
 hinc multa in ramorū capitibus germina.  
 Quod si ueluti redundans ad crura radici-  
 bus uicina reflectatur & remigret, multos  
 ibidē stolones edit: humore nutritio illuc  
 cōuerso, & à partibus superiorib<sup>9</sup> remisso.  
 In quo laudare, admirari, ac satis uenera-  
 ri ac suspicere nō possum, Dei Opt. Max.  
 bonitatem inenarrabilem: qui tantam ra-  
 dicibus & his infixis capillamentis ac fibris  
 facultatem elargitur, ut citra ullum auxi-  
 lium, prodigiosam molem non dicam su-  
 stineant, sed assidua alimenti subministra-  
 tione, etiam in arido plerunque cœlo & so-  
 lo, pluribus seculis atque ætatibus alant: ac  
 tam uberem ligni & fructuum copiam sup-  
 peditent, ut non solùm ad hominum usum  
 multiplicem, uel centū annis, quod mini-  
 mum est, sufficiat, quin imò plurimorum  
 quoque animalium & uolucrum pabulum  
 etiam producat. In quā rem, ne per uarias  
 arborum classeis nostra insolenter uagetur  
 oratio, Nucem arborem, aut Quercum de  
 multis, pro exemplo, adferā. Quæ in tan-  
 tam altitudinem, & usque adeo uastam am-  
 plitudinem ac molem quandoq; excresecit,

ut sub ea, uel Achilles ipse cum toto Græcorum exercitu castrametari possit. Quam uastitatē & summè admirandam molem, fructuúmq; inexplicabilem copiam quis alit? quis immensum illud corpus sustinet? quis radices fulcit ac firmat aduersus uiolentissimam uentorum rabiem, fulmina & procellas? Vnus sanè est IESVS CHRISTVS: qui solus mirabilia facit quæcunque sunt in cælo, terra & profundis abyssi.

#### ADMONITIO.

Folio 7. pag. 2. post uersum qui incipit,  
 Et turpes auibus, &c. hoc omissum carmen reponere,  
 Scilicet omnibus est labor impendendus, & omnes  
 Cogendæ in sulcum, &c.

#### FINIS.



001 14564394

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
540 EAST 57TH STREET  
CHICAGO, ILL. 60637  
TEL: 773-936-3700  
WWW.CHICAGO.EDU

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
540 EAST 57TH STREET  
CHICAGO, ILL. 60637  
TEL: 773-936-3700  
WWW.CHICAGO.EDU

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
540 EAST 57TH STREET  
CHICAGO, ILL. 60637  
TEL: 773-936-3700  
WWW.CHICAGO.EDU

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
540 EAST 57TH STREET  
CHICAGO, ILL. 60637  
TEL: 773-936-3700  
WWW.CHICAGO.EDU

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
540 EAST 57TH STREET  
CHICAGO, ILL. 60637  
TEL: 773-936-3700  
WWW.CHICAGO.EDU

5000. 99.





